

Ann. V.

Num. XXII.

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;  
ubique extra Italianam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis  
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem  
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS  
AMERICAE SEPTENTR.

Apud FRIDERICUM PUSTET

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES

VARSAVIAE POLONORUM  
akowskie Przedmiescie, 15

LONDON W.  
28, Orchard Street.

S. Sedis, Apost et S. Rituum Congr. Typogr.

NEW YORK  
52, Barclay Street.

CINCINNATI  
436, Main Street.

S. Sedis Apost et S. Rituum Congr.

Typogr.

RATISBONAE in BAVARIA

MONTREAL

1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

	Vox Urbis.
COMMENTARI « VOX URBIS » SOCIIS ET LECTORIBUS IN ANNUM MDCCCLIII QUAESITIS RESPONSO. De quibusdam animalium vocibus apud Latinos et Italos . . . . .	H.D.V.Pieralice.
EX POLONIA . . . . .	I. Wabner.
NOVUS COMETES . . . . .	G. P.
ADULPHUS NORDENSKIOLDUS . . . . .	A. L.
B. ANGELICI FAESULANI ET LUCAE SIGNORELLII EFFIGIES . . . . .	Laelius.
FABULAE SELECTAE FONTANII A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE . . . . .	Fr. Xav. Reuss.
ARABES QUINAM ET QUANDO? . . . . .	D. Lascaris.
NIC. MACHIAVELLI SENTENTIAE . . . . .	C. Dehò.
LEONIS PP. XIII LITTERAE APOSTOLICAE QUIBUS CONSILIJ INSTITUITUR STUDIIS SACRAE SCRIPTURAЕ PROVEHENDIS.	
ANNALES . . . . .	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS . . . . .	Scriba.
ÆNIGMATA . . . . .	Th. Vignas.

In tertia operculi pagina:

VARIA - IOCΙ . . . . . P. d. V.  
LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

M CMII

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS  
COMM. VOX URBIS IN AN. MDCCCCIII

Premium subnotationis est in Italia Libell. 10; ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. seu Coron. 7  $\frac{1}{2}$ , *recto tramite* mittendum ad

**ARISTIDEM LEONORI EQUITEM**  
**COMMENTARII "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,**  
**ROMAM, via Alessandrina, 87.**

PRAEMIA SOCII CONSTITUTA.

Qui premium ut supra miserit haud citra ultimum Ianuarii mensis diem an. MDCCCCIII, praeter Commentarii numeros omnes qui edentur ipso an. MDCCCCIII, accipiet *ad libitum*

a) Librum (vulgo « album ») praecipua Urbis referentem, pulchritudine insignem, atque Commentarii moderatore iubente expresse adstructum; *sive*

b) Urbis e Ianiculo monte prospectum (Tabulam aere cusam metr. 1,10 × 0,24); *sive*

c) Collectionem chartularum electissimarum, quae distinctae coloribus plurima de Roma, iuxta optimarum artium placita, referunt.

**QUI NOVOS DABIT SOCIOS**

eligit insuper:

a) Libros de disciplinis omnibus, de bonis litteris, de Ecclesiasticis rebus quocumque e bibliopolarum catalogo, usque ad dimidium subnotationis annuae suae, id est in Italia ad Libell. 5; extra Italiam ubique ad Libell. 7, 50; Marck 6; Sch. 6; Doll. 1 $\frac{1}{2}$ ; Rubl. 3; Flor. seu Coron. 3 $\frac{1}{2}$ . Ipse electos libros describat atque Commentarii administratori significet; gratis mittentur, excepto impendio diribitorio Reipublicae debito; *sive*

b) E picturis Urbis grandes duas, photographice redditas, prouti voluerit ac significaverit; usque, ceu supra, ad dimidium annuae subnotationis;

c) *Sin potius cupierit, dimidium subnotationis premium ei remittetur qua pecunia dimiserit.*

Hac ultima conditione (c) modus datur sociis, quo si binos dederint socios novos, ipsi gratis Commentario fruantur; sin, possint amico favere, Commentarium dimidiato pretio praebentes.

*Notatum vero plane volumus nos nova omnino sociorum nomina exspectare tradenda; non enim socios umquam existimabimus eos qui nomen suum olim iam Commentario dederunt.*

In Ital.  
Lib. 15,

COM

ONO O  
B noste  
curas  
tulim  
posset humani  
illud unum co  
litteris et artib  
nihil intentatu  
gerere morem,  
mentarius hie  
gaudeat, et su  
ros huiusmodi  
orbis terrarum

Quae nonnull  
quae nonnulli  
sura sperabant  
sociis nostris  
tandum primo,  
egregium, vire  
attulerunt, qua  
bant, quintum  
denique primo  
bus, ardua im  
malevoli audel

In vo  
suisque artibus  
Fatu  
haec omnia vi

et in semel su  
tia, et gratia, c  
sociorum, quib  
brationes mitte  
nomina, quibus  
quasi totidem  
rent.

Ita ad praese  
iamque finem  
iamque illa, in  
suos nostris ins  
qui ceteri nos  
quantus latinit  
faciente, ubiqu

# VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:  
In Italia, Lib. 10 — Ubique extra Italiam:  
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:  
ARISTIDES LEONORI, eques.  
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

## COMMENTARII "VOX URBIS", SOCIS ET LECTORIBUS IN ANN. MDCCCCIII

**B**ono ortus alite quintum Commentarius noster ab initio suo annum exigit. Qui euras, qui labores nostros assidue contulimus ut omnia recte, quantum fieri posset humanis, caderent, qui lustro integro in illud unum conati sumus ut bene de optimis litteris et artibus mereremur, qui nihil inausum, nihil intentatum liquimus ut sociis possemus gerere morem, hoc assequuti sumus, quod Commentarius hie sua mole stet, proprioque vultu gaudeat, et sua dignitate iucundus inter ceteros huiusmodi non sine praeconio ubique iam orbis terrarum habeatur.

Quae nonnulli timebant, evanuerunt adversa; quae nonnulli, qui in speculis erant, male censura sperabant, prospera advenerunt; quae e sociis nostris nonnulli, qui sapientes in sustentandum primo, deinde in amplificandum opus egregium, vires, consilia, eluebrationes suas attulerunt, quae, inquam, hi sibi nobisque optabant, quintum hoc iam lustrum implevit. Quae denique primo apparebant hispida difficultatibus, ardua impensis, aspera invidiis, quibus malevoli audebant

..... spargere voces  
In volgum ambiguas,

suisque artibus confisi, nobis

Fatum crudele canebat,  
haec omnia vicit  
mens conscientia recti,

et in semel susceptis propositi tenax constantia, et gratia, et benevolentia et collata auxilia sociorum, quibus gratum ac suave fuit elucubrationes mittere, indicare plurima, et ea dare nomina, quibus nostri Commentarii paginae, quasi totidem sideribus, pulcherrime rutilarent.

Ita ad praesentes usque limites iter emensem; iamque finem attigimus in quem tendebamus, iamque illa, in quaे conabamur, tenemus. Qui suos nostris inseruere labores hoc probe seiunt; qui ceteri noscere cupiant, intueantur, quaeso, quantus latinitatis amor, Commentario nostro faciente, ubique flagrabit; quanta aemulatione

praeclera ubique arserint ingenia; quot nobiscum esse voluerint, ita ut sermo latinus primum revertatur in aurum vivus et valens, passimque censeatur qui possit unus veluti lingua communis haberi, non unice in more eruditis, et ad omnia proclivis et cereus, quae nostris hisce temporibus inventa sunt. Quae quidem explicanda curavimus, uti nova, novis interdum vocibus eusis, prout res flagitabat, aureos iuxta auctores vel exprimerentur, vel iuxta eorum vestigia et ritum componerentur. Non enim latina tantummodo verba latinitatem constituant, sed intimus animus, et mens, et spiritus afflans omnia iugi studio, sedula diligentia comparatus; nec latinus ille habendus est qui hodiernas res et voces latinis vocibus interpretatus fuerit, sed qui antea res animo latino conceperit, verbis mentem postea sponte sequentibus.

Quamobrem, nullam arbitrii sumus rapinam si ea, quae filiorum sunt, in maternum linguæ decus divitiasque inseruerimus; nostra enim sunt haereditario iure quae latina fuerunt; et ideo pio iure in maiorum honorem deferenda, quae nostra aetate acciderunt. Fons rivulo dedit undam purissimam; nos urnam aliquam et amphoram a rivulo haurientes pii fonti redidimus.

Et quidem nos ita recte fecisse quoties non ab inquinato et lutulento flumine alieno, sed a nostro pellucido et candide latino deprompsimus, illi testantur qui nostra prosequuti sunt favore, benevolentia, quin et plausu nobis gratissimo. Qui profecto ubique terrarum degentes magnum de nostro opere circa latinitatis cultum protulere iudicium, cum binae quaestiones in litteraria republica nuper excitatae ad nos devenerunt, atque ita resolutae sunt prout argumenta et vota nostra ferebant. Prior et princeps illa fuit de recta pronuntiatione latina, in quam tres continentes incubuimus annos, et quae penitus in gratiam Romanae pronunciationis ita cessit, ut nunc de instituenda *occumenica* Academia hie agatur (1) ad quam un-

dique convenient, qui recte latine dicere velint, nihil hiuleum, nihil pressum, nihil hians interserentes, nihil auferentes, nihil opprimentes, nihil mutantes, nihil addentes, conscriptis; quinimo, idque mira felicitate actum est, ratio quaedam scribendi latinos libros apud exteris civitates omnes perspecta est, qua singuli et facile calleant, et latinum Romano sono prounent.

Altera quaestio fuit de constituenda societate latine loquentium (1), et haee ocius priori, antequam leges quibus coalesceret vigeretque, scriberentur, factis haberi coepit, et servare leges et frequentari inter socios Commentarii huius, qui certatim in rem incubuere scriptis et verbo.

Haec duo praeclara et incundissima nobis absoluta sunt anno delabente, quibus non modo erecti sunt animi nostri, sed et stimuli quidam additi, magis ad meliora quaerenda, quam ad ea, quae hactenus prosequuti sumus tenenda; perseverare enim in bonis laudabile est, at in meliora semper niti, optimum ducimus. Quod igitur bonum est in melius, quo possumus Marte, mutabimus; melius in optimum adducere, attollere.... Optimum quidem nequaquam est in humanis; minimis tamen urgeri, prout sufficerent vires, curabimus; assequemur hoc autem desiderii dictisque audientes sociorum.

Quae duo ita sunt nobis expressa, ut alterum generalem cultum, historicum paene dixerim, respiciat, alterum vero ad peculiarem cultum nostrorum temporum pertineat; tales nam sumus, qui a nostra aetate non discordes esse velimus. Quod ad primum spectat, dabimus nonnulla excerpta a summis auctoribus latine conscripta proximis saeculis, quae vel parum nota sint, vel omnino ignorata (nempe e manuscriptis illa depromemus), nitida latinitate dulcia, historicas res, artes, litteras, singularia, oblitera penitus quae respiciant; dabimus insuper philologicas de latina lingua notas, commenta, emendationes, criticum quid, vocum vires et efficaciam, et nativam significationem, et com-

(1) Cfr. an. V, n. XXI.

(1) Cfr. an. V, n. XVIII.

mutationes quae usu invaluerint. Insuper singulares commentarii numeros evulgabimus, quibus digna viris

*Quos aluit Pallas, quos Iuppiter aequus amavit,*  
laus exstet, quibus recordatio conseceretur aeterna factis gestisque celeberrimis.

Primus huiusmodi numerus ineunte anno, die prima mensis Ianuarii, edetur, dedicatus Leonini XIII, qui cum Petro tertius XXV Pontificeatus annum agit, cuius doctrinam, prudentiam omnes passim laudibus celebrant, quem aureae latinitatis cultorem et soluta oratione et versu principem omnes ore uno salutant. Ut autem huiusmodi commentariorum numeris magna commentarii nostri notitia percrebrescat, quam maximam copiam praeolo dabimus, ut sociis nostris ad manus sint, eosque amicis legendos tradant, constituto pro decem numeris pretio Libellae unius (Doll.  $\frac{1}{4}$ , Mark 1, Rubl.  $\frac{1}{2}$ , Coron. 1); eos autem omni impendio immunes accipient in diritorio epistolarum, seu propria in domo, prout indicabunt.

Hinc quisque e sociis et lectoribus noscet quanti existimationem, et gratiam, et benevolentiam eorum faciamus, ut nobis et Commentario

nostro se exhibeant quales hactenus exsistere. Prospectus autem subnotationis commentario huic, pro integro anno MDCCCCIII, talibus condicionibus et foedere habeatur:

Qui reeto tramite ad Aristidem Leonori equitem (Roma, *Via Alessandrina*, 87) hand citra ultimum Ianuarii mens. diem, an. MDCCCCIII pretium annuae subnotationis miserit (in Italia Libell. 10, ubique extra Italiam Libell. 15; Mark. 12; Dollar. 3; Rubl. 6; Cor. 7  $\frac{1}{2}$ ), praeter Commentarium, accipiet *ad libitum*:

a) Librum (vulgo « Album ») praecipua Urbis referentem, pulchritudine insignem, Commentarii moderatore iubente expresse adstratum; *sive*

b) Urbis e Ianiculo monte prospectum (tabulam aere cusam metr. 1,10.  $\times$  0,24); *sive*

c) Collectionem chartularum electissimorum, quae distinctae coloribus plurima de Roma, iuxta optimarum artium placita, referunt.

*Qui praeterea novos dabit socios eligit insuper*

a) Libros de disciplinis omnibus, de bonis litteris, de ecclesiasticis rebus, quoemque e bibliopolarum catalogo, usque ad dimidium subnotationis annuae sua, id est in Italia ad

Libell. 5, extra Italiam, ubique, ad Libell. 7,50; Mark. 6; Sch. 6; Doll. 1  $\frac{1}{2}$ ; Rubl. 3; Coron. 3  $\frac{1}{2}$ ). Ipse electos libros deserbat, et nobis significet; gratis mittentur, excepto impendio diritorio Reipublicae debito: *sive*

b) E pieturis Urbis grandes duas photographice redditas, prouti voluerit, et significaverit; usque, eeu supra, ad dimidium annuae subnotationis.

c) *Sin potius cupierit, dimidium subnotationis pretium ei remittetur, qua pecunia dimiserit.*

Hac ultima conditione (c) modus datur sociis, quo si binos dederint socios novos, ipsi gratis Commentario fruantur; sin, possint amico favere Commentarium dimidiato pretio praebentes.

*Notatum vero plane volumus nos nova omnino sociorum nomina exspectare tradenda; non enim socios novos umquam existimabimus eos, qui nomen suum olim nobis dederunt.*

Denique hortamur quotquot adhuc in remittendo pretio subnotationis annuae praeteritae vel... claudicant, vel... chiragra laborant, ut integrum quantocies mittant, nisi velint imminente anno penitus Commentario carere.

VOX URBIS.

#### QUAESITIS RESPONSIO.

De quibusdam animalium vocibus  
apud Latinos et Italos (1).

HERBERTO A. STRONG eruditissimo viro HIACYNTHUS  
DE-VECCHI PIERALICE s. p. d.

**Q**UAE recens Commentario huic nostro a te data sunt, optima mihi quidem videntur, et viris vel digna summis, qui nostra tempora iudicabunt. At quae initio secunda Minerva proponuntur, interdum absolvuntur invita, sive quia magnum onus ingenia parva non sustinent, sive quia mare quod pro litore velivolum videbatur, ubi in altum perrexeris exiguo navigio, suos habet vortices et syrtes malignas, a quibus aut recedere necesse sit, aut pati naufragium. Tu igitur, qui anquirenda proponis vocabula in italo vulgo adhuc exstantia, quasi echum quamdam optimi sermonis antiqui, referentia et exprimentia voces animalium, ut inde obsoleta usui reddantur, et quae cessisse loco visa sunt, iterum in honorem restituantur, utilia et saneta, quae quisque probet, enuncias; nemo autem improbo labore manus umquam, ut puto, admovet. Et sine ambiguis, circa rem quae sentio exprimam, causas tamen enumerans praecipuas; easque ne omnes quidem; non enim perpetua eluenbratione uti possim, certis me prementibus undique angustis Commentarii, cuius occupare spatia statutos praeter fines non licet.

Et prior quidem, nisi prima et gravior, ea habenda est, quae ex immanni opere nascitur; nam (nescio utrum et apud exteris civitates idem sit) apud nos Italos urbs omnis ab urbe

suis vocabulis, et quasi spiritu ita differt, ut non modo ab haec illa difficulter intelligatur, nam de plebeio sermone res agitur unice, sed non raro contingat ut illi transmarini vel transalpini aestimentur, quos una cogit in regione utrumque mare, et circumiectae Alpes a reliquis dividunt. Quid commune inter Pisanum et Genuensem? Quid inter Neapolitanum, et Venetum, et Siculum, et Hetruseum? Quod « *vamus* » Thuseus appellat, Neapolitanus « *basium* » intelligit; quod Siculus profert *Anneria*, i. e. Andreas, Romanus audit quasi diceret « *irem* »; Thuseus quasi diceret « *obfuscabat* ». Ab enumerandis abstineo ne sim propemodum infinitus.

Quod si tanta varietas et fortasse diversitas, quinimo et oppositio est inter verba, quae commune aliquid, ac proinde quasi certum, constitutum fixumque habent, considera tu quid futurum sit in vocabulis, quae liberrimae indoli rusticorum puerorumque creduntur, quas et matres et avi blandientes puellis suis, horum auribus mentibusque inspirant, infigunt haud faciliter obliviscendas, maxime quia ipsa animalia diverso penitus hie illie nomine nuncupantur. Ignoro utrum tibi risus, vel admirationis causam praebeam, philologis certe studii ed animadversionis eiusam dabo. Boves qui vocantur passim inter Italos, *mummi* apud pueros in nonnullis pagis vocantur, voce, ut reor, a mugitu quaesita et proximi imitatione suadente; oves, iterum, alibi *pecore* vel inter grandes natu doctos indoetosque, alibi *memme*, voce balantibus persimili; harum filii alibi *agnelli*, alibi *agni* penitus latine vocantur; sic et quae *motacilla*, avis dieitur, alibi *cutrettola*, alibi *scodanzinzola* dieitur ex illo caudae semper

irrequiae motu, quo apud nos verbum invaler *scodinzolare* - (in tertia praesentis indicativi singularis persona *scodinzola*), quo scilicet verbo exsultantium canum et blandientium caris, eaudam ad mensuram laetitiae agitantium, modum indicamus. Verumtamen ut propior tibi fiam, ecce quae moras praecipitanti calamo subeunt; pauca quidem at vera et fidelia; pauca, inquam, quia mihi numquam ea fuit sententia apud apenninieolas et rurieolas nostros interdum comoranti, ut ista rescirem.

Lupos « *ululare* » patricio sermone reete dicimus, quod mihi vocabulum, sicut « *eiulare* », unde « *ululatus* » et « *einlatus* » integrum ferme est ab *elul*, et *ulul* Hetruseo, Semitico ex Hebreis, et siquid ultra e Lydis quaeras, nam

*Lydia quondam*  
*Gens bello praeclera iugis insedit hetruscis;*

propterea quod et Tiber Lydius dictus est ab eodem Vergilio:

*ubi Lydius arva*  
.....*lento secat agmine Tibris.*

Nee quis negabit aliiquid funestum et lamentabile esse luporum ululatum nocte inclamantium. Hinc et eadem de causa « *upupa* » avis apud nos *ulula* vocatur. Lupi autem dieuntur a rusticis omnino *urlare*, aut *rullare*; *ulula* lamenta edens sua haudquaquam *urlare* dicuntur, quia illud *r* insertum aliquid ernde addit lamento; atque inde *ulula* dieitur *lamentare*, aut *allulare*, aut (in Neapolitanis) *alluccare*. Corvos *gracchiare* affirmamus, potius quam « *ovare gutture* », aut « *graculare* » latine; sed vox est integra a nomine « *graceus* », et « *graeulus* », quae gemina a Latinis relieta sunt. Et hic advertas oro caput

(1) Cfr. num. XIX.

stirpis magni-  
cum, et simi-  
seu « *gracul-*  
diminutivus  
Cicadarum  
boribus consi-  
quibus Senio-  
Illi spetant  
cicadarum, in  
verbo *frinire*  
tino non val-  
quod brevissi-  
belare italicie  
ciamus aperte-  
eadem latine  
lato italicus  
more. *Nitrare*  
nire-hinnitum  
pulchrior ant-

Quod autem  
venio, et huic  
lare » seimus  
lamentabili  
tem nos et uli-  
pariter ferimus  
si quando irati  
domini sui re-  
pum. Nos ver-  
mone, refinem-  
bum *abbajare*  
renda est, quin-  
mines « *bain-*  
hoc putant se  
*latrare* indica-  
non minus in-  
meris quod a-

Singula pe-  
praesertim si-  
gularum. Ista

At circa ea  
tibi ave, quae  
*cigliolo* appelle-  
palustria sunt  
semper « *tinn-*  
aliiquid habet  
brevissimo, ur-  
rusticis, quum  
potius quam *l*  
me fallit mem-  
*sguillare*, seu  
nabulorum mi-  
nam erit apu-  
pinguissimae  
fateor, ignoro.  
nobilique ling-  
ra » illa Hora-  
versam. Quae  
ignaviam nocte  
gionibus poti-  
taria, sed gre-  
impedire pro-  
bus abit ne s-  
coniugem due-  
Plinius ait, lu-  
non apparere.  
species pro spe-  
bysthidis Ursae  
Lib. IX), ex al-  
litudine, ex lu-  
esse arbitror p-

ad Libell. 7,50;  
3; Coron. 3<sup>1/2</sup>).  
et nobis signifi-  
impedio diri-  
es duas photo-  
rit, et significa-  
midium annuae  
*uidium subnota-  
ua pecunia di-*  
lus datur sociis,  
os, ipsi gratis  
ssint amico fa-  
retio praebentes.  
*s nos nova om-  
ne tradenda; non  
stimabimus eos,  
ederunt.*  
adhuc in remit-  
uae praeteritae  
aborant, ut inte-  
elint imminentem  
ere.  
**X URBIS.**

verbum invaleat  
entis indicativi  
o scilicet verbo  
ium caris, eau-  
tantum, modum  
ior tibi fiam,  
alamo subeunt;  
pauca, inquam,  
tentia apud  
interdum com-

mone recte di-  
ut « eitulare »,  
ntegrum ferme  
mitico ex He-  
quaeras, nam  
t he truscis;  
dictus est ab  
ris.

et lamenta-  
nelamantium.  
avis apud nos  
ur a rusticis  
menta edens  
quia illud r-  
mento; atque  
allulare, aut  
s gracchiare  
tture», aut  
integra a no-  
quae gemina  
as oro caput

stirpis magnae illi familiae corvorum, corni-  
cum, et similiū apud rusticos « gracuum »,  
seu « graculum » haberi; « graculus » enim  
diminutivus est substantivū « gracchi ».

Cicadarum (quae, iuxta Homerum, « sub ar-  
boribus considentes dulcem emittunt vocem »,  
quibus Seniores Teuerorum a speculis moenium  
Illi spectantes et colloquentes comparantur)  
cicadarum, inquam, vocem italice exprimimus  
verbo *frinire*, quod a verbo « fritinire » lati-  
no non valde distat, syllaba *ti*, more vulgi,  
quod brevissima semper amat, sublata. Oves  
*belare* italice dicimus: *e* primam ita pronun-  
ciamus apertam ut *a vel* proxima sit, qua vox  
eadem latine sonat « balare »; atque inde *be-  
lato* italicus recte fit, uti « balatus » latino  
more. *Nitrire*, *nitrito* dat vocem equorum « hin-  
nire – hinnitum »; fortassis italica vox hodierna  
pulchrior antiqua.

Quod autem singulare sit in voce canum in-  
venio, et huiusmodi habetur. « Ululare », « eiul-  
lare » scimus canes in campis amissum dominum  
lamentabili voce invocantes et flentes; hoc au-  
tem nos et *ululare*, et *urlare*, et *rullare*, ut dixi,  
pariter ferimus; « latrare » prisci dicebant canes  
siquando irati aut furem, aut exterum prope  
domini sui res viderent, greges, domos, cam-  
pum. Nos verbum idem, patricio potius in ser-  
mone, retinemus; vulgus autem praefert ver-  
bum *abbajare*; cuius vocis causa in eo requi-  
renda est, quod canibus appetet videntibus ho-  
mines « baiulantes » aliquid, quippe ablatum  
hoe putant seu surreptum; hinc si in verba  
*latrare* indicant latronem, in verbo *abbajare*  
non minus indicant hominem deportantem hu-  
meris quod ablatum, surreptum credunt.

Singula persequi longum lexicum conficiet,  
praesertim si vocum reddenda sit causa singularum. Ista modo tibi sufficient.

At circa ea, quae de « parro » scribis ignota  
tibi ave, quae hic apud Italos Aequicolas *por-  
cigliolo* appellatur, degitque in silvestribus ubi  
palustria sunt, interduo raro, noctu autem fere  
semper « tinnipat », edens nempe vocem, quae  
aliquid habet commune cum grunnuī porcorum  
brevissimo, unde nomen illi inditum vulgo a  
rusticis, quum vero brevissima sit vox, tinniens  
potius quam prolata videtur. Rustici, nisi mea  
me fallit memoria, hanc vocem indicant verbo  
*squillare*, seu *squillare*, quo nos acutum tintin-  
nabulorum minorum sonum indicamus. At quod-  
nam erit apud reliquos Italos huius volueris  
pinguissimae et sapidissimae nomen? Candide  
fateor, ignoro. Unum hoc seio, patricia, ut aiunt,  
nobisque lingua *piviere* esse appellatam a « par-  
ra » illa Horatiana, seu « parria » longe di-  
versam. Quae quidem prior ob pinguedinem et  
ignaviam noctu tantummodo viat, altisque re-  
gionibus potitur, et volans tinnipat; nec solita-  
ria, sed grege volat, idque agit ubi instinctu  
impendere procellas praesentit; tunc a palustri-  
bus abit ne submergatur, secumque natos et  
coniugem dicit. Parrus haec; de qua optime  
Plinius ait, lucente Sirio obmutescere et ferme  
non apparere. Parram Horatianam autem, nisi  
species pro specie usurpata poetice sit (ut « li-  
bysthidis Ursae », pro « Leena » apud Vergil.,  
Lib. IX), ex aliqua corporis plumarumque simi-  
litudine, ex lugubri voce, upupam, seu ululam  
esse arbitror potius quam bubonem, seu bubum.

Non enim assentior iis, qui in ea sylvestrem  
gallum, noctu breves clamores, atque hos lu-  
gubres, canis instar in specu latrantis, indicari  
suspicantur.

In illo, quem « rattum » dieis, seu « murem  
ponticum », nonne sorex decumanus abditur,  
quorum multitudo ingens in nos, nuperrimis  
saeculis, ab Asia per Yperboreos montes, aut,  
uti nonnulli autumant, e Scandinavia devenit?

Haec ego summatis respondenda tibi pu-  
tavi, ut scias eadem, quae tu sentis, nos quo-  
que sentire; de opportunitate temporis et utilitate  
laboris tantummodo a te, vir amplissime,  
discrepare.

Tu modo cura ut sis, et bene sis, et floreas.  
Et si qua sors voluntatem tuam tibi ita fortu-  
net, ut societatem de re inquirentium et scri-  
bentium possis adstruere, « ecce ego, mitte me »,  
non recuso labore, quo vires meae, quaecumque  
sunt, aut futurae sint porriganter; noseis enim  
in Commentario nostro me, in elucubrationibus,  
quae « Communia vitae » inscribuntur,  
plures de animalium vocibus, inserta ad iucunditatem  
narratiuncula, aliquid delibasse, et nova  
etiam verba (ut « gutturiare » indicans vocem  
galli indici, quem nos *gallinaccio*, Galli *dindon*  
appellant), aliquando proposuisse.

Etiam atque etiam vale.

Romae pridie kal. Novembr. an. MCMII.

### EX POLONIA.

**C**AECUS, si per lapidem cecidit, lapidem exse-  
cratur. Nonne ita? Sic apud nos. Doctrina  
studiumque linguarum veterum credita erant  
(proh! etiam nunc fit) magistris, parum earum  
gnaris, nedum auctoritatem et vim erudientem  
perspicientibus. Quid igitur? Tempus frustra  
teri, absumi, perdi, paene universa omnium voce  
conclamatum est. Odium paratum, neque mul-  
tum aberat, quin doctrina illarum linguarum  
plane aboleretur. Res tamen eo deducta, ut  
tempus, quod prius iis in ephebeis impende-  
batur, valde contraheretur. Quid porro futurum  
sit, nondum claret. Res nondum irrevoeabilis  
modo perspecta. Spes certe aliqua manet fore,  
ut calamitas disciplinarum avertatur, cum cul-  
tus publici administer designatus sit vir ex-  
cultissimus et ipse in linguis veteribus, in-  
primis autem latina versatissimus, earumque  
fautor egregius, Gregorius Saenger. Quae res  
tantum mihi attulit gaudium, ut fieri non po-  
tuerit, quin carmine gratulabundo, quod heic  
adiunxi, linguae latinae auctoritatem, potesta-  
tem dignitatemque celebrarem. Valete.

Varsaviae, postridie id. Oct. an. MCMII.

V. C.  
GREGORIO SAENGERO  
PUBLICI CULTUS ADMINISTRO  
RECENS ELECTO  
CARMEN  
DE LINGUA LATINA AUCTORITATE.

Diversa et ore moreque varia  
Mortalium gens; inde studet diu  
Tandem riam invenire certam,  
Qua propior queat esse sorti,

Finemque querit assiduo suum,  
Cui parta et in quem sedula nititur,  
Semper petens sublimiora,  
Sisyphios imitans labores.

Multique tentant artibus evahi,  
Divinitus quae terricolis datae,  
Multosque fert fructus ratosque  
Ille labor sapienter usis.

Omnis labor sed fit levior tamen,  
Coniuncta vinclo si ratio iuvat:  
Quae magna sunt, tulere saecula  
Consilio viribusque iunctis.

Iunctura quaedam sed manet efficax,  
Quae promovere rem queat acrius,  
Quae polleat conglutinare,  
Quae nequeunt fieri sine illa.

O, hac sublata si babylonia  
Discordia, quae dissimili modo  
Mortalium distorsit ora,  
Sermo velit sociari in unum!

Frustrane lingua Romulo dissipata  
Per orbem, an et quae gentibus utile  
Conanimum ferat iuvamen  
Quaque homines societque mentes?

Quantum colendas, si quis eam foret  
Reique finem proprius admovet,  
Si Romulo sermone fortis  
Tungere pollet et ore gentes!

O, lingua grata, quae simul excolis  
Nec non eum, qui te penitus sapit,  
Extollis ascriptum in celebrem  
Laude superstite iure coetum,

Cultorem habes nunc, qui insolito modo  
Et arte summa te foveat et tua  
Arcana thesaurique gemmas  
Disserit et cupidis earum.

Caeli supremo non sine numine  
Electus ille, sternet ut vias  
Nunc publici cultus simulque  
Praeses ut esset et litterarum.

Gaudete, amici: nunc hominum artius  
Commune vinculum vincet ille vir  
Exercitum multiplicando  
Romuleo loquitantium ore.

JOSEPHUS WABNER.

### NOVUS COMETES.

**Q**UUM astronomica passim commentaria co-  
metem novum per caeli spatia peregrinante-  
niantem nunciassent, qui decadente mense octo-  
bri visibilis esset, mora mihi non fuit, nec  
requievi donec de ipso certa rescirem, ut lecto-  
ribus gratum facerem, quos caeli cura tangit  
aliqua, et plus minusve sollicitat.

Quod quidem et singulis et omnibus com-  
mune reor; hospitem namque in nostra de-  
remotissimis adventantem finibus et videre cu-  
pimus et alloqui, et modos, et mores et men-  
tem eius perspicere desideramus. Hinc virum  
in astronomicis apud nos doctissimum, hu-  
manitate maxime florentem, quo cum libenter  
hise de causis vesor, Iosephum Lais, Congre-  
gationis, cui a sancto Philippo Neri no-  
men, ornamentum, quem Vaticana specula alterum  
a moderatore intuetur, de more adivi,  
ut ea me doceret, quae postea narrarem. Atque  
huius donum est tabula illa, quam lectoribus co-  
ram exhibemus, in qua et cometae datur imago,  
prout photographico apparatu recepta est, et

circumstantium, immo proprius abeuntium stellarum cursus ostenditur; haec quippe per lineas iter suum indicant, quum cometes artificio singulari ita exceptus sit, ut constans, dum illae abirent, in photographico campo restaret.

De hospite igitur hoc nostro loquentes tunc plura disceptavimus, antiqua et recentia: quae tanti esse arbitror ut libenter quisque et iucundissime legat quae referam, benigne vero me habeat si perspicuitatem et sapientiam eius non assequar, qui mihi dux in caelesti illo itinere factus posse me scribere, quae poterat ipse dicere, arbitrabatur. Itaque minora et minima quaeque et errata lector medioeritati meae, saltem, certissime tribuat.



Non eadem cometis omnibus facies, non idem color, non idem iter; multiformes sunt, et inter se diversi penitus; ideo, quamvis uno sub genere appellentur omnes nomine eodem, iuxta varietatem formae tamen diverso nomine, quasi in totidem divisi species, apud nos nuncupantur. Nemo clarior et candidior quidem C. Plinio Secundo in ordinem illos rededit (1): « In ipso caelo stellae, — scribit ille, — repente nascuntur. Plura earum genera cometas Graeci vocant, nostri erinitas (Cicero cineinnatas appellat (2)), horrentes crine sanguineo, et comarum modo in vertice hispidas. Pogonias illi dixerunt (barbas nempe), quibus inferiore ex parte in speciem barbae longa promittitur iuba. Acontiae iaeuli modo vibrantur ocellis significatu. Haec fuit, de qua V consulatu suo Titus Imperator Caesar praeclaro carmine perscripsit, ad hunc diem novissime visa. [Illane quae Solymis peritulis horribiliter supremo ingruit anno?]. Eadem breviores et in mucronem fastigias, Xiphias vocavere, quae sunt omnium pallidissimae, et quodam gladii nitore, ac sine ullis radiis, quos Disceus suo nomini similes, colore autem electro, raros e margine emittit. Pitheus doliorum cernitur figura, in concavo fumidae lucis. Cerastias cornu speciem habet, qualis fuit cum Graecia apud Salamina depugnavit. Lampadias ardentes imitatur faces; Hippus equinas iubas celerrimi motus atque in orbem circa se eunt. Fit et candidus cometes argenteo crine ita refulgens ut vix contueri liceat, specieque humana Dei effigiem in se ostendens. Fiunt et Hirti, villorum specie, et nube aliqua circumdati. Semel adhuc iubae effigies mutata in hastam est, olympiade centesima nona, Urbi anno 398 (3). Brevissimum, quo cernerentur, spatium septem dierum annotatum est, longissimum octoginta (alibi CLXXX; fortassis error in scribendo (D. « ierum » LXXX). — Moventur autem alii errantium modo, alii immobiles haerent. Omnes ferme sub ipso septentrione, aliqua eius parte non certa, sed maxime in candida, quae lactei circuli nomen accepit. Aristoteles tradit et simul plures cerni; nemini compertum id alteri, quod equidem sciam; ventos autem ab iis graves, aestusque significari. Fiunt et hibernis mensibus, et in austro polo; sed


(1) PLINI SECUNDI, *Histor. Mundi*, Lib. II, cap. XXII, et XXIII.

(2) *De natura Deorum*, lib. II. <sup>a</sup> Tum stellas, quas Graeci cometas, nostri cineinnatas vocant, quae nuper Octavianum bello magnarum fuerunt calamitatum praeannunciae.

(3) Hinc patet, iuxta Plinium, Romam fuisse conditam non IV<sup>a</sup>, sed IX<sup>m</sup> inter ac X<sup>m</sup> Olympiadem.

ibi citra ullum iubar. Diraque comperta Aethiopum et Aegypti populis, cui nomen aevi eius rex dedit *Typhon*, ignea specie, ac spirae modo intorta, visu quoque torvo, nee stella verius quam quidam igneus nodus. Sparguntur aliquando et errantibus stellis (*planetis*, nempe) ceterisque crines. Sed cometes numquam in occasura parte caeli est; terrificum magna ex parte sidus, ac non leviter piatum, ut civili motu Octavio consule, iterumque Pompeii et Caesaris bello; in nostro vero aevo circa beneficium, quo Claudius Caesar imperium reliquit Domitio Neroni; ac deinde principatu eius assiduum prope ac saevum ».

Opinio quae circa cometas pererebuit ita ut infesta, diraque mortalibus portenderent, et necesse praesertim regibus, exterminia populis, pestes, perniesque gentibus adducerent, quin et provocarent, inde fluxit, quia vulgus postquam apparuerunt quaeque mala notavit, et, qua solet, argumentatione usus cometis illa tribuit, quae tamen etsi non apparuerint, pariter accidit.



Novus cometes.

(Ex photographica caeli tabula, quam nobis ultro obtulit el. vir JOSEPHUS LAIS).

sent. Hodie, post Keplerum, manifestum est cometas certis legibus contineri, quibus per orbem vehuntur nos. Numquid quasi tabellarii intra stellas et stellas?... Non otioso certe ministerio funguntur, celeritate mirabili, praecipi cursum, quem horret mens ipsa considerans. Septingenta ac triginta circiter enumerantur quae ab anno DCXI a. Ch. ad nostra usque tempora huiusmodi notata sunt sidera, si tamen sidera dicenda sint, et ex hisce viginti ac trecenta optime fere sunt cognita, quamvis eorum demigrationes et redditus non omnino sciamus; quid vero confieant, sive abeant, sive redeant, suspiciari non possumus; profecto aliiquid dignum est omnipotentia et sapientia creatoris Dei, qui cometas ita plasmavit, tantamque vim dedit, ut quamquam exiguo constant pulviseulo, attamen exiguum hoc ita illis haeret, ita fideliter sequitur praeceps, pernix, ruens, ut ipse sol noster, moles tantas trahens et regens, illas per medios ignes facularum suarum incedentes detinere et absorbere non valeat; sitque ad exemplum Cometes « Enke », qui ab orbe solis vix trecentis chilometrorum millibus divisus solem circumivit incolumis.

Qui anno MDCCXLIII apparuit, nucleus diametro 112,000 chilometr. spatiante habebat: eanda eius per 5,280,000,000 chilometr. porrigebatur. Atqui « nucleus » dixi!... Ergone quid solidum cometae habent? Maxima horum pars pulviseulo adeo tenui constat, ut, si eogeretur in solidum, vix cubum metrum, aut huinsmodi, metra intra deceem ad summum, conficeret solidum nostris marmoribus comparandum. At pluribus astronomis sententia est nonnullos cometes haberi, qui solidum nucleus gerant; et memini me quandam legisse opus, in quo notabatur unus ex hisce, cui solidus esset orbis, seu globus bis millibus chilometr. et quadrigentis circiter constans in circuitu. Quid si haec sphaera in lunarem orbem, in terram nostram, in planetam incurreret? Quanta ruina in conflagratione illa horribilis? Quanta in caelestibus perturbatio? Anne et haec erit causa, qua stellas nonnullas interdum in caelo conflagrare et frangi videmus, et postquam brevi arserint tenebresecre? Poeta suspicatur haec, non astronomus.

Iam sit venia. Musis quidlibet audentibus. Verum, qui cometes nunc ingruit, nihil tale minatur. Ipse inter sidera Lyram, Aquilam, Ophiucum, triangulo aequilatero descripto, nunc versatur, nec barbam, neque capillos dat per aethera. Dabitne soli proximus? Facile, si tamen accesserit. Materies, qua constat, aetheria et ipsa: quum enim sedulus astronomus noster perserutaretur, ei visus est esse in medio quasi nucleus fulgentior, ab offusa luce cometali diversus. Aerius intendit; nec diu in labore moratus est; stella enim remotissima coruscabat, eius radios cometa nostra minime impediens, ac toto corpore suo minime obstabat. Quo pergit? Unde venit? Quandonam redditum matrabit? Haec pro certo haberi poterunt ubi elementa itineris eius et orbitae ad amissim excepta fuerint. Cometae, quot intra solem et Iovem circumvent vias suas aperuere, et quatuordecim usque enumerantur, quibus data sunt astronomorum nomina, bene de caelesti scientia meritorum, sive reperientium. Sic habemus cometas Enke, Tempel, Brorsen, Biela bis, Halley, Aderset, etc.

Habent autem et sua fata cometae, quos Iupiter perturbat: perturbant, si qui proximiores fiant, planetae quamquam Iove minores. Cometes Biela aliquid huiusmodi expertus est. Huius vices et nonnulla, quae propria sunt, reddimus lectoribus, ubi studia quaedam nostra absolverimus, quae nunc habemus pae manibus; saepius enim querentes pacem in solitudines caeli fugimus, et quo diutius possumus in hisce quiescimus.

G. P.

#### ADULPHUS NORDENSKIOLDUS.

SVERDRUPIUS, Norvegus nauta tot inter ovationes a glacie via rediens, vita funetur recens eius praedecessorem in memoriam revocat, Adulphum Nordenskioldum, qui insulas Spitzbergen primum invisit, atque ausus est Asiae circa nordica litora conseensa nave discurrere, quod nemo antea facinus pertenerat. Verum de terrarum disciplina optime

quoque meritu  
sceptas explo  
in re peritisque

Suedo gene  
lissimo ortus H  
iuvenis admode  
se tradidit, qu  
Sed natali Fir  
naeo pater ei  
naturam doceb  
domini impati  
diorum curricu

Laureum ibi  
visit, ibique a  
Torell, viri doc  
ad Spitzbergen  
tuit. Quae via  
tune temporis  
sed Suedensi  
uterque amicus  
MDCCCLXVII  
ad litora inexplo  
et locum satis

Ausui vero m  
omni scientia cl  
tatuum cooptati  
atque Chydeniu  
terrā conversa  
barbari primo te  
glacies eius cond  
Danorum colonia  
quod tamen etsi  
orientalem contu  
Tune Adulphus i  
atque latissimos  
est prosequuntur,  
sulam glacie at  
tam.

Quod itaque s  
posnerat, utrum  
gius regiones ha  
rent, optime cog

Qua reperta fa  
argumento proba  
guerat, Europae  
tiquissimis glaci  
albam et deserta

Quin etiam a  
glacie faciem  
planitiem extens  
loci asperam; ri  
ciem discurrunt,  
et glacialis pulv  
cooperiuntur.

modo ad novos  
Nordenskioldi a  
saeculo usque de  
dacissimos plurim  
tales nordie iti  
atque Mac Clin  
tentaverant; ute  
Asia in European  
quaesiverant vias  
debatur, postquam  
Kara mari explor  
patere asseruerat  
dulus nautas mu  
pertuitque certo a  
fauces usque esse  
ex Russie oris in

ruit, nucleus  
tiantem habe-  
00 chilometr.  
dixi!... Er-  
ent? Maxima  
i constat, ut,  
um metrum,  
ad summum,  
ribus compa-  
sententia est  
dum nucleus  
legisse opus,  
, cui solidus  
us chilometr.

in circuitu.  
orbem, in ter-  
eret? Quanta  
bili? Quanta  
et haec erit  
dum in caelo  
postquam brevi  
spicatur haec,

t audentibus.  
it, nihil tale  
m, Aquilam,  
escripto, nunc  
illos dat per  
Facile, si ta-  
stat, aetheria  
nomus noster  
a medio quasi  
e cometali di-  
n labore mo-  
a coruscabat,  
e impediebat,  
bat. Quo per-  
ditum matu-  
runt ubi ele-  
amussim ex-  
lem et Iovem  
uatuordecem  
nt astrono-  
scientia me-  
pemus come-  
bis, Halley,

netae, quos  
proximiores  
ores. Come-  
s est. Huius  
sunt, redde-  
n nostra ab-  
ne manibus;  
solitudines  
nus in hisce

G. P.

LDUS.

inter ova-  
ta functum  
noriam re-  
qui insulas  
ausus est  
nave di-  
pertenta-  
na optime

quoque meritum virum cōsent quia post su-  
ceptas explorations libros ediderit a doctis  
in re peritisque laudatos quam maxime.

Suedo genere antiquissimo pariter ac nobilissimo ortus Helsingforsii anno MDCCXXXII, iuvenis admodum naturae disciplinis eo ardore se tradidit, quo dilectam peramavit patriam. Sed natali Finlandia ex urbe, cuius in athenaeo pater eius, gentis dynasta, metallorum naturam docebat, exsul brevi recessit et Russici dominii impatiens Berolinum migravit, ut studiorum curriculum perficeret.

Laureum ibi sertum consequutus, Suedos in-  
visit, ibique amicitiam lucratus est Othonis  
Torell, viri doctissimi, eius consilio iter illud  
ad Spitzbergenses insulas suscipiendum consti-  
tuit. Quae via hodie tuta nautis panditur, ignota  
tunc temporis et densa caligine obruebatur:  
sed Suedensi republica expensas pollicente,  
uterque amicus ab anno MDCCCLVIII ad annum  
MDCCCLXVIII quater iverunt atque redierunt  
ad litora inexplorata, quoadusque eorum faciem  
et locum satis comperta habuere.

Ausui vero magno auxilio fuerunt viri quoque  
omni scientia clarissimi, qui in nautarum comi-  
tatum cooptati sunt, Malgremius praesertim  
atque Chydenius. Deinde ad Groenlandiam  
terram conversa exploratorum vota. Normanni  
barbari primo tempore easas atque oppida inter  
glacies eius condiderant; iamvero a saeculo veluti  
Danorum colonia passim litus illud habebatur,  
quod tamen etsi notum satis ex occidentali facie,  
orientalem contra ignotam omnino servaverat.  
Tunc Adulphus ille per campos glacie concretos  
atque latissimos iter suscepit, viamque eo usque  
est prosequutus, quo constaret satis totam  
insulam glacie atque nive undique esse obrue-  
tam.

Quod itaque sibi nauta investigandum pro-  
posuerat, utrum Groenlandia terra solutas lon-  
gius regiones haberet an libera maria pate-  
rent, optime cognovit.

Qua reperta facie terrae, id visum est novo  
argumento probatum, quod Agenig doctor ar-  
guerat, Europae faciem omnem temporibus anti-  
quissimis glacie concretam atque rigidam,  
albam et desertam enitusse.

Quin etiam alia eaque tutiora innotuere;  
glacie faciem ubique immutatam, modo in  
planitiem extensam, modo ad montani instar  
loci asperam; rivuli inventi sunt, qui per gla-  
ciem discurrunt, sive patentes, sive invisibles,  
et glacialis pulvis recognita, qua rivuli ipsi  
cooperiuntur.

modo ad novos ausus eosque maiores accessit  
Nordenskiöldi audacia. Noverat enim ille, a  
saeculo usque decimosesto, nautas Europae au-  
dacissimos plurimum contendisse ut Indias orientales  
nordico itinere attingerent. Mac Clure  
atque Mac Clintock duces recentissime rem  
tentaverant; uterque tamen incassum sive ex  
Asia in Europam, sive ex Europa in Asiam  
quaesiverant viam. Neque iam mutata res vi-  
debatur, postquam Von Baver, Germanus viator,  
Kara mari explorato, transitum per illud nullum  
patere assernerat. Noster vero his parum cre-  
dulus nautas multos sententiam rogavit, com-  
peritque certo anni tempore ad Obi fluminis  
fauces usque esse viam. Inde ausus conceptus  
ex Russicis oris in Americana transeundi litora.



B. Angelici Faesulani et Lucae Signorelli effigies.  
(Photographice expresserunt FR. ALINARI, Florentiae).

Suedus mercator Dickson Russusque Sibiriakof pecuniam ad rem contulere. *Vega* conseensa navi anno MDCCCLXXVIII, Celiuskin caput prospere arreptum; verum ad Lenae fluminis fauces glacie coagulatas morari iter oportuit. Hibernis autem expletis solutoque mari audax cursus felicissime expletus est. In quo quidem alia multa eaque maxime utilia disciplinis naturae ditandis obtigere. Asiae enim septentrionalis regio innotuit, cuius levis antea notitia fuerat, libri editi quamplurimi et doctissimi; de floribus Siberiae Kjelmannius, Adulphi socius, scripsit; de Ciukeio populo, passim ignoto, Almqvistius.

Ipse autem Nordenskiöldus, quamvis audacissimus nauta, sedulitate quoque et diligentia investigationis parem laudem obtinuit. De libris quos edidit est in omnium memoria *Facsimile* illud *Atlas* quo terras a se exploratas deseripsit, atque *Periplus*, quo maria quae persuleaverat, simili sedulitate explanavit. De ignitis phoenomenis, de boreali aurora doctissime pariter disseruit, deque pluribus aliis ad naturae historiam spectantibus, quae enarrare longum est.

Neque inter tot tantosque labores a reipub-  
blicae conferenda opera sese abstinuit; plures  
enim per annos inter Suedorum patres subse-

rium obtinuit, atque disciplinarum omnium incre-  
mentum facunda eloquentia curavit. Amici  
atque clientes, valetudinem eius firmissimam  
rati, eum diuturnam vitam victurum sperabant:  
contra successit res; nam Augusto mense anni  
MDCCCCI dum Dalby-Oe in sua villa rusticatur,  
laboriosissima vita, multa cum gloria, fun-  
ctus est.

A. L.

#### B. ANGELICI FAESULANI ET LUAE SIGNORELLII EFFIGIES.

**E**FFIGIES subiectas oculis admiremini, socii:  
qua veritate resident vultus, rutilant oculi;  
qua venustate plicant vestes, et cadunt! Mu-  
ralis paries in Urbevetana illa ecclesia cathe-  
drali, pulchritudinis antiquae miraculo, utrum-  
que pictorem exhibit, quorum vultus ille qui emi-  
net primus, Lucas Signorellius, expressit. An-  
tichristum mole sua ruuentem, eiusque asseclas  
divina ira percuslos in pariete pector descripse-  
rat, quum, quo more passim antiquae aetatis  
utebantur artifices, sese amicumque suum di-  
lectissimum Fratrem Angelicum Faesulanum

arbitratus est in angulo adiicere non tamquam spectantes excidium, sed quasi amicitiae memoriam, tardis nepotibus, qui templum ingredentur in saecula, consereratam. De Faesulano pictore non semel hisce in paginis diximus; de Signorellio nunc pauca addemus.

Cortonae natus anno MCDXL, magistrum habuit Petrum della Francesca quo cum Aretina in urbe nonnulla perfecit. Hospitio tunc Vasarii fratres eum exceperunt, viri pictoria arte doctissimi, quorum ex gente Georgius ille, qui serius illum pectorum historias descripsit, Lucam inter maiores eximium artificem multis laudibus condecorat. Ibi profecto, cum Michaelem Archangeum animas librantem effinxisset, armorum corusea facie expressa ad rem doenit quantum iam peritiam sua esset in arte consequutus. Volaterram deinde, mox Florentiam, Urbem veternam tenuit, quibus in urbibus famam sui nominis pingendo ubique reliquit. Romam denique advocatus, in Xystino sacello ad Vaticanum parietes illustravit novi Testamenti historiis, miro colore miraque dexteritate depictis. Quocirea, cum summus ille advenit Bonnarrotius, ut lacunar pingeret atque immensam post altare parietem, maxima arte sua hand tantum potuit, ut Signorelli nomen prorsus obscuraret. Sunt immo qui tradant Bonarrotium Antichristi iacturam Urbe veteri admiratum, pingendi universalis iudicium consilium inde hausisse: qua laudis aemulatione nullum Signorellio maius elogium.

LAELIUS.

21]

FABULAE SELECTAE FONTANII  
A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE  
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS.

## LXXXVII. — RUSTICUS ET SERPENS.

Rusticus imprudens longeque benignior aequo  
(*Aesopus factum vedit et ipse refert*),  
Rusticus hac, inquam, donatus mente, paterna  
Praedia lustrabat; saeva rigebat hiems.  
En. nive porrectum super alta, conspicit anguem,  
Concreto visum iam perisse gelu.  
Hunc legit, inque suam fert villam; nescius, atras  
Mox sibi reddendas pro pietate rices.  
Admoret exanimum prunis, curatque foretque,  
Donec titillat torpida membra calor.  
Ecce sed egelido suspensa renascitur ira:  
Erigitur cervix, lingua trisulca micat;  
Spira fit, inque suum fera saltu fertur amicum,  
Iam morsura, salus unde profecta, manum:  
— « Quid, scelus! hanc reddis mercedem? — clamat arara  
[tor —  
At moriere, mea tam male dignus ope »  
Dixit, et arrepta (quae iustior ira?) bipenni,  
Sacrilegos artus in tria frusta secat.  
Subsulat serpens, cuius coalescere truncu  
Nititur, at frustra, cauda caputque suo.  
Exitium manet ingratis. Tu munera, lector,  
Fundet, sed ista vide quo benefacta cadant.

## LXXXVIII. — LEO AEGROTUS ET VULPES.

Aeger rex pecudum quum forte iaceret in antro  
(*Antrum quippe nigrans aula leonis erat*),  
Ad se legatos ex omni gente ferarum  
Accit, edicto postibus apposito:  
— « Legatis — ita rex — sociisque paravimus amplam,  
Longe a vulnifico dente vel ungue, domum.

## ARABES

QUINAM ET QUANDO? (1)

At quaenam in Arabia reperta sunt? Pauca quidem haec tenus; et, si velimus vera confiteri, exigua in comparatione eorum, quae alibi, ut in regionibus Ninive, Babylonis, Micaenarum, et in ceteris ubique apparuerunt. Non enim circiter abhinc annos triginta ulli fas erat ea per loca impune versari, quum tamen fere omnis regio Felicis Arabiae, ubi Saba regnabat, Rubro mari contermina, aedificiorum, monumentorumque ruinis et ruderibus, et fractis marmoribus inscriptis frequentissima esset. Quae autem regio dicitur *Iemen*, urbem caput habet Sana. Ad hanc euntes descripsere ab Aden Walter B. Harris Anglus, ab Hodeida Eduardus Glaser; ille decem, hic sex diebus iter confecere. Laurentius Manzoni, Alexandri nepos, liberum de regione et urbe nuper edidit, refertque fluvium Giof a Sana in vallem descendere, (urbs enim duobus metrorum millibus a mari eminent ardua), ruderibus magnificis ubique asperam, eximia tamen ubertate soli et cultu spe etabilem. Quinque dierum iter est Orientem versus; et ibi reperies Marib, olim florentissimam et principem Sabaeorum urbem; nunc est miserrimus vicus; et circa non minores, Sabaeis imperantibus, fuerunt urbes Carna, Iattil, Harrim; nec quidquam de Petra dicam, quae Petraeae Arabiae caput fuit. Sabaeorum, seu

(1) Cfr. num. sup.

Himiaritarum, seu Homeritarum regna latius porrigebantur, quibus Catabanes et Hadramotitae sub ditione fuerunt, unde thura, et odorifera quaeque deportabantur, quamvis Mahraland, qui ab Oriente eminet, amplissima regio, et Somalium littus, quod trans mare Rubrum ad Occidentem huius regionis, et coram, est, quasi aromatum omnium fontes et origines putandi sint. Inter Mahraland et Somalios illa celebris insula Socotora dicitur « paradisus beatorum » a prisca locorum incolis, a poetis. Minaeorum reges, reges Saba in quidquid odoramentorum erat in Iudeorum regiones mitten- dum, suo luero vigilabant. Carna, Minaeorum regia urbs, in valle, seu planicie Giof olim erat; eiusque inscriptiones de Minaeorum regno, quod ignorabamus in Arabia, certiores nos faciunt, ac sermonis genus habent a Sabaeo aliquantulum diversum; non tamen ut magis quam a lingua dialectum differat. Eius rudera ingentia sunt, et magna pars moenium eminent adhuc; illud autem singulare, inscriptionibus ubique esse opera.

Anno MDCCCXL Germani Gesenius et Rödiger de lingua et scriptura Homeritarum sive Himiaritarum primi egerunt; hi quasi instinctu quodam (non enim ultra sex inscriptiones habebant, quarum una erat ab Hadramot, quinque a Sana) de antiquitate et cultu Arabum vetustissimo praedixerunt. Sex a medio quodam datae insuper sunt. Anno MDCCCXLV Thomas Joseph Armand, Gallus, audacter medium in Sabaeorum regionem prosilivit, sex et

*Fluctibus oblectans, attingit denique ripam;*  
*Fugerat interea corpus et umbra dapis.*

## XCI. — CIRCULATOR.

Ventosos tellus numquam non gignit agyrta, (1)  
Quae non fertilior crescit in orbe seges.  
Hi Styga se iactant transasse, crepantque per urbem  
Facundo melius se Cicerone loqui.  
Sic blaterasse ferunt quemdam: — « Mihi detur alumnus  
Pigra quantumvis indole, mentis inops;  
Sit stipes, caudex, asinus sit sesquipedali  
Aure, sophum vobis hunc ego restituam. »  
Talia iactari cum rex a rhetore sensit,  
Ad sua grandiloquum tecta venire iubet.  
Cui: — « Nostris — ait — in stabulis adolescit asellus  
Arcadicus, longis praeditus auriculis;  
Causidicus vellem fieret. » — « Potes omnia iussu,  
Rex; faciam quadrupes ius ut utrumque sciatur. »  
Sic doctor; data cui merces hac lege, peritam  
Redderet ut iuris, post duo lustra, feram:  
— « Quae nisi re praestem, — subdit promissor — onustus  
Vinclis, in medio stranguler ipse foro;  
Strangler, auriculis asinini sincipit auctus,  
Dorsum depresso codice rhetorico. »  
— « At me — sic index nebulonis mussat in aurem —  
Supplici testem iurerit esse tui.  
Grata dabis spectacula, crucem cum scanderis altam,  
Verba diserta serens, codice digna tuo.  
Tum reliquis etiam monitor nebulonibus esto,  
Fures quos rudior plebs vocitare solet. »  
Rhetor ad haec: — « Crucis ante diem, vel rex, vel asellus  
Funus erit; placida morte vel ipse cadam. »  
Dixit vera: tibi si quis promiserit annos  
Astrologus denos, non satis ille sapit.  
Utere luce data: decimus dum volvitur annus,  
Tertius e sociis suerit obire tribus.

(Ad proximum numerum).

(1) Αγρότης (ab ἀγρός = congreto) graece circulatorum significat et praestigiatores circumforaneum.

quinquaginta  
Sana, a Sirv  
colis, nonnull  
superficie et  
vit. Tune stud  
Tribunus mil  
litari munere  
digenis Arabi  
tas emit; sex  
gratias actas  
no MDCCCL  
catoris habitu  
Marib, in val  
tas inscription  
hemus, ab an  
MDCCXCIV  
centas inscrip  
tempus Iulius  
pta, circiter  
excerpit, qua  
patet Madiani

Ex hisce e  
ante ortum Ch  
gnum quid eo  
bus inter Cha  
Arabes interfu  
tamia regiones  
moribus et dis  
illa et balsam  
mereio divitiis  
Kataban et Ha  
Arabes, Beduin  
millennio circu  
potiti sunt a p  
que constituer  
humethi aetate  
luit. Tune autem  
prius, Aethiopi  
roe, litora Afri  
omnis, a domin  
interaestuante,

Scriptura no  
nullas, iuxta P  
et latinum alphi  
nices ex Arabi  
nensis proxim  
regione scriptu  
Religio lunam  
prout in sacris  
neratur, quae  
vocabatur. Ter  
praestabant; cu  
simi.

Sie itaque v  
ria, quam effos  
fortasse comple

At quid inte  
et Babylonense

MONOMONOMON

NICOLAI MA

▲ In publicis  
excipiuntur, ut p  
maior enim erit r  
rum cura.

▲ Merito patres  
praedia satis esse

n regna latius  
s et Hadramo-  
thura, et odo-  
uamvis Mahra-  
plissima regio,  
mare Rubrum  
et coram, est,  
et origines pu-

Somalios illa  
paradisus bea-  
s, a poetis. Mi-  
uidquid odora-  
regiones mitten-  
na, Minaeorum  
Giof olim erat;  
um regno, quod  
s nos faciunt,  
paeo aliquantu-  
magnis quam a  
ruderia ingentia  
eminet adhuc;  
ionibus ubique

Gesenius et Rö-  
meritarum sive  
quasi instinetu  
scriptiones ha-  
dramat, quin-  
cultu Arabum  
a medico quo-  
MDCCXLV  
audaeter me-  
osilivit, sex et

ripam;  
apis.

agyrtas, (1)  
eges.

que per urbem

i detur alumnus  
ops;

dali

am.»

t,

puebet.

olescit asellus

is;

nia iussu,

mque sciat.»

peritam

feram:

nissor - onustus

ro;

auctus,

in aurem -

nderis altam,

uo.

is esto,

et.»

rex, vel asellus

adam.»

os

t.

annus,

ee circulatorem

a.

quinquaginta inscriptiones referens a Marib, a Sana, a Sirvach, et, transversa tenuentibus incolis, nonnulla templorum rudera, ut imago superficie et area adesset, chartis commenda-  
vit. Tunc studium, tunc aemulatio, tunc stimuli. Tribunus militum Anglorum Coghlan, qui militari munere in urbe Aden tenebatur, ab indigenis Arabiae viginti tabulas aeneas inscriptas emit; sex rev. Wilson, quas inter unam circa gratias actas Deo Lunae, qui Sin dicitur. Anno MDCCCLXX Ioseph Halévy, hebraei mercatoris habitu personatus, in Negiram, Sirvach, Marib, in valles Giof late vagatus, septingentes inscriptiones retulit. Eduardus Glaser, Bohemus, ab anno MDCCCLXXXII ad annum MDCCXCIV unam et nonaginta supra trecentas inscriptiones transcripsit. Circa idem vero tempus Iulius Eutingh Lotharingius plura scripta, circiter viginti, e regione Medianitarum excepit, quamvis non integra, quibus tamen patet Medianitas Minaeis regibus paruisse.

Ex hisce emergit inter 1500 et 2000 ann. ante ortum Christi Arabum regna floruisse; magnum quid commerciis, negotiis, pecunia, artibus inter Chaldaeos, Assyros, Babylonenses et Arabes interfuisse, qui orientales in Mesopotamia regiones incolebant. Hi Assyriis imbuti moribus et disciplinis eo venerunt, unde thura illa et balsama deferebantur, ut illorum commercio divitiisque potirentur. Sic regna Maan, Kataban et Hadramot constituerunt. Nomades Arabes, Beduini, Ismaelitae, vagi et palabundi, millennio circiter ante Christum Felici Arabia potiti sunt a peninsula Sinai adventantes, atque constituere regnum Sabaeum, quod ad Mahumethi aetatem (DCXXV post Christum) invalluit. Tunc autem, millennio illo, scilicet, nisi vel prius, Aethiopia arabica, videlicet insula Merroe, litora Africa Rubri maris, Saba denique omnis, a dominatu invadentium nomadum, mari intereaestuante, stetit immunis.

Scriptura notas offert consonantes, vocales nullas, iuxta Phoenicum morem, unde graecum et latinum alphabetum fuit. Quum autem Phoenices ex Arabia orientali prodierint, Babylonensis proximi, hinc est quod iure illa in regione scripturae incunabula quaerenda sint. Religio lunam et stellas (« militiam caeli », prout in sacris paginis) magis quam solem veneratur, quae luna: amicus, pater, avunculus vocabatur. Tempa longe dominibus regalibus praestabant; cultus, caeremoniae, ritus amplissimi.

Sic itaque veteris Arabiae restauratur historia, quam effossiones, ubi potestas faciendi erit, fortasse complebunt.

At quid inter Aegyptios posita et Ninivitas et Babylonenses Arabia ista parabit?

D. LASCARIS.

### NICOLAI MACHIAVELLI SENTENTIAE.

▲ In publicis operibus agricolae adeo humaniter excipiantur, ut potius libentes accedant quam coacti; maior enim erit reipublicae et populorum, quam operum cura.

▲ Merito patres nostri haud lata, sed probe culturae satis esse opinabantur.

Latine interpretatus est C. DEHO.

### LEONIS PP. XIII

#### LITTERAE APOSTOLICAE

QUIBUS

CONSILIU INSTITUITUR

STUDIIS SACRAE SCRIPTURAES PROVEHENDIS (1).

Leo PP. XIII, ad perpetuam rei memoriam.

Vigilantiae studiisque memores, quo *depositum fidei* Nos quidem longe ante alios sartum tectumque praestare pro officio debemus, litteras encyclicas *Providentissimus Deus* anno MDCCXCIII dedimus, quibus complura de studiis Scripturae sacrae data opera complectebamus. Postulabat enim excellens rei magnitudo atque utilitas, ut istarum disciplinarum rationibus optime, quoad esset in potestate Nostra, consuleremus, praesertim cum horum temporum eruditio progrediens quaestionibus quotidie novis, aliquandoque etiam temeraris, aditum ianuamque patefaciat. Itaque universitatem catholicorum, maxime qui sacri essent ordinis, commoneficius quae cuiusque profecta pars in hac causa forent; accurateque perseguunt sumus qua ratione et via haec ipsa studia provehi congruenter temporibus oporteret. Neque in irritum huiusmodi documenta Nostra cecidere. Incunda memoratu sunt quae subinde sacrorum Antistites aliisque praestantes doctrina viri magno numero obsequi sui testimonia deferre ad Nos maturaverunt; cum et earum rerum, quas perscripseramus, opportunitatem gravitatemque efferrent, et diligenter se mandata effecturos confirmarent. Nec minus grata ex recordamur, quae in hoc genere catholicorum homines re deinceps praestitere, excitata passim horum studiorum alacritate. — Verumtamen insidere vel potius ingravescere caussas videmus easdem, quamobrem eas Nos Litteras dandas censuimus. Necessesse est igitur illa ipsa iam impensis urgeri praescripta: id quod Venerabilium Fratrum Episcoporum dignitatem etiam atque etiam volumus commendatum.

Sed quo facilius uberiorus res et sententia eveniat, novum quoddam auctoritatis Nostrae subsidium nume addere decrevimus. Etenim cum divinos hodie explicare tuerique Libros, ut oportet, in tanta scientiae varietate tamque multiplici errorum forma maius quiddam sit, quam ut id catholicorum interpretes recte efficere usquequa possint singuli, expedit communia ipsorum adiuvari studia ac temperari auspicio ductuque Sedis Apostolicae. Id autem commode videmur posse consequi si, quo providentiae genere in aliis promovendis disciplinis usi sumus, eodem in hac, de qua sermo nunc est, utamur. His de causis placet, certum quoddam Consilium sive, uti loquuntur, Commissionem gravium virorum institui: qui eam sibi habeant provinciam, omni ope curare et efficere, ut divina eloquia et exquisitiorem illam, quam tempora postulant, tractationem passim apud nos inveniant, et incolumia sint non modo a quovis errorum afflato, sed etiam ab omni opinionum temeritate. Huius Consilii praecipuum sedem esse addebet Romae, sub ipsis oculis Pontificis maximi: ut quae Urbs magistra et custos est christiana sapientiae, ex eadem in universum christiana reipublicae corpus sana et incorrupta huius quoque tam necessariae doctrinae praecognitione influat. Viri autem ex quibus id Consilium coalescet, ut suo muneri, gravi in primis et honestissimo, cumulate satisfaciant, haec proprie habebunt suae navitatis proposita.

Primum omnium probe perspecto qui sint in his disciplinis hodie ingeniorum cursus, nihil ducenti instituto suo alienum, quod recentiorum industria repererit novi: quin imo excubent animo, si quid dies effter utile in exgesim Biblicalam, ut id sine mora assumant communemque in usum scribendo convertant. Quamobrem ii multum operae in excolenda philologia doctrinique finitimus, earumque persecundis progressionibus collocent. Cum enim inde fere consuevit Scripturarum oppugnatatio existere, inde etiam nobis quaerenda sunt arma, ne veritatis impar sit cum errore concertatio. — Similiter danda est opera, ut minori in pretio ne sit apud nos, quam apud exter-

(1) Summi Pontificis litteras has, die XXX superioris mensis datas, quippe maximi ponderis et ad cultum omnem spectantes, libenti animo integras sociorum ad communum utilitatemque referimus.

V. U.

nos, linguarum veterum orientalium scientia, aut codicium maxime primigeniorum peritia: magna enim in his studiis est utriusque opportunitas facultatis.

Deinde quod spectat ad Scripturarum auctoritatem integre asserendam, in eo quidem acrem curam diligenterque adhibeant. Idque praesertim laborandum ipsis est, ut nequando inter catholicos invalescat illa sentiendi agendique ratio, sane non probanda, qua scilicet plus nimio tribuitur heterodoxorum sententiis, perinde quasi germana Scripturae intelligentia ab externae eruditio apparatu sit in primis querenda. Neque enim cuiquam catholicis illa possunt esse dubia, quae fusius alias Ipsius revocavimus: Deum non privato doctorum iudicio permisso Scripturas, sed magisterio Ecclesiae interpretandas tradidisse; « in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae christiane pertinentium, eum pro vero sensu sacrae Scripturae habendum esse, quem tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideo nemini licere contra hunc sensum aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari » (1); eam esse divinorum naturam Liborum, ut ad religiosam illam, qua involvuntur, obscuritatem illustrandam subinde non valeant hermeneutiae leges, verum dux et magistra divinitus data opus sit, Ecclesia; demum legitimum divinae Scripturae sensum extra Ecclesiam neutiquam reperiri, neque ab eis tradi posse qui magisterium ipsius auctoritatem repudiaverint. — Ergo viris qui de Consilio fuerint, curandum sedulo, ut horum diligentior quotidie sit custodia principiorum: adducanturque persuadendo, si qui forte heterodoxos admirantur praeter modum, ut magistrum studiosius observent audiantque Ecclesiam. Quamquam usu quidem venit catholicus interpretari, ut aliquid ex alienis auctoribus, maxime ac delectu est. Artis criticae disciplinam, quippe percipiendae penitus hagiographorum sententiae perutilem, Nobis vehementer probantibus, nostri excitant. Hanc ipsam facultatem, adhibita loco ope heterodoxorum, Nobis non repugnantibus, iidem exauant. Videant tamen ne ex hac consuetudine intemperantiam iudicii imitantur: siquidem in hanc saepe recidit artificium illud criticae, ut aiunt, sublimioris; cuius periculosam temeritatem plus semel Ipsius denuntiavit.

Tertio loco, in eam studiorum horum partem, quae proprie est de exponentibus Scripturis, cum latissime fidelium utilitati pateat, singulares quasdam curas Consilium insumat. Ae de iis quidem testimonii, quorum sensus aut per sacros autores aut per Ecclesiam authentice declaratus sit, vix attinet dicere, convinceendum esse, eam interpretationem solam ad sanas hermeneutiae leges posse probari. Sunt autem non pauca, de quibus cum nulla extiterit adhuc certa et definita expositio Ecclesiae, liceat privatis doctribus eam, quam quisque probarit, sequi tuerique sententiam: quibus tamen in locis cognitionis est analogiam fidei catholicamque doctrinam servari tamquam normam oportere. Jamvero in hoc genere magnopere providendum est, ut ne acrior disputandi contentio transgrediatur mutuae caritatis terminos; neve inter disputandum ipsae revelatae veritates divinaeque traditiones vocari in disceptatione videantur. Nisi enim salva consensione animorum collocatisque in tuto principiis, non licebit ex variis multorum studiis magnos expectare huius disciplinae progressus. — Quare hoc etiam in mandatis Consilio sit, praecipuas inter doctores catholicos rite et pro dignitate moderari questiones; ad easque finiendas qua lumen iudicij sui, qua pondus auctoritatis afferre. Atque hinc illud etiam consequetur commodi, ut maturitas offeratur Apostolicae Sedi declarandi quid a catholicis inviolate tenendum, quid investigationi altiori reservandum, quid singulorum iudicio relinquendum sit.

Quod igitur christiana veritati conservandae bene vertat, studiis Scripturae sanctae promovendis ad eas leges, quae supra statutae sunt, Consilium sive Commissionem in haec alma Urbe per has litteras instituimus. Id autem Consilium constare volumus ex aliquot S. R. E. Cardinalibus auctoritate Nostra deli-

(1) Conc. Vatic., sess. III, cap. II, *De revel.*

gends: iisque in communionem studiorum laborumque mens est adiungere cum Consultorum officio ac nomine, ut in sacris urbanis Consiliis mos est, claros nonnullos, alias ex alia gente, viros quorū a doctrina sacra, praesertim biblia, sit commendatio. Consiliū autem erit et statis conventibus habendis, et scriptis vel in dies certos vel pro re nata vulgandis, et si rogatum sententiam fuerit, respondendo consulētibus, denique omnibus modis, horum studiorum, quae dicta sunt, tuitioni et incremento prodesse. Quaecumque vero res consultae communiter fuerint, de his rebus referri ad Summum Pontificem volumus; per illum autem ex Consultoribus referri, cui Pontifex ut sit ab actis Consilii mandaverit. — Atque ut communibus iuvandis laboribus supellex opportuna suppetat, iam nunc certam Bibliothecae Nostrae Vaticanæ ei rei addicimus partem; ibique digerendam mox curabimus codicem voluminumque de re Biblica collectam ex omni aetate copiam, quae Consilii viris in promptu sit. In quorum instructum ornatumque praesidiorum valde optandum est loepletiores catholici Nobis suppetias veniant vel utilibus mittendis libris: atque ita peropportuno genere offici Deo, Scripturarum Auctori, itemque Ecclesiae navare operam velint.

Ceterum confidimus fore, ut his coepitis Nostris, nuptioe quae christiana fidei incolumitatē sempernamque animarum salutem recta spectent, divina benignitas abunde favet; eiusque munere, Apostolice Sedis in hac re praescriptionibus catholici, qui saeculis litteris sunt dediti, cum absoluto numeris omnibus obsequio respondeant.

Quae vero in hac causa statuere et decernere visum est, ea omnia et singula uti statuta et decreta sunt, ita rata et firma esse ac manere volumus, et iubemus; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum etc.

#### SOCIIS MONITUM vid. in quarta operculi pagina.

#### ANNALES.

Regia itinera — Gallorum Belgarumque seditiones — Americana bella civilia — Sinenses res — Novi Somalorum ausus.

**R**EGALIA itinera atque colloquia multa quidem, eaque gravis ponderis delabentis iam anni dies numerarunt: ad Russorum Caesarem primi Loubetius, Gallorum praeses, et Vilhelmus Germanorum Caesar, tertius Italorum rex accessere. Victorius ipse rex Italorum Berolinum deinde tenuit, post eum princeps Germanorum regni haeres designatus ad Hungaros migravit, Austriae Imperatorem salutatus: ad eundem postea, sed Vindobonam, Graecorum atque Rumenorum reges ivere, deinde ad Turcarum Imperatorem Nicolaus magnus Russorum dux advenit, proxime vero Sophiam ad urbem Bulgarorum caput discessit. Londinum interea ad solemnes ferias ad Eduardi regis coronationem indictas undique regio sanguine orti legati convenerunt, pariterque ad similes ferias, quae Madriti sunt habitae, pro rege Alphonso XIII nuper in thronum assumpto. Postrema sunt his diebus itinera Danorum regis Berolinum suscepta, unde vetus invidia, Danos infer atque Germanos post acerrimum illud bellum an. MDCCCLXVI orta, mitigata esse dicuntur. Neque heic finis: praenunciant enim Wilhelmum ipsum atque Carolum Lusitanorum regem brevi Londinum cum Eduardo rege futuros ut magni momenti negotiationes agitant circa meridionalis Africæ hodiernum statum.

In Gallia atque in Belgica effosorum pergunt ubique fere desertiones, ita ut carbonis

fodinae relictae ubique atque desertae nullum ian amplius edant fructum. Qui domesticiis rebus praesunt administrī reipublicae suam intercessionem, missis ad rem legatis, inter electos ab opificiū coetibus arbitros atque dites dominos adhibuere, ut discordiam tantam ex bono et aequo quamprimum comparent. Interest enim quam maxime reipublicae ne desertiones huiusmodi longius protrahantur, siquidem industres passim artes omnes ac sive terrestria, sive maritima itinera carbone aluntur atque moventur, eius si deficiat inopinato vis et copia, sensim omnes artes suis quasi nervis privabuntur, opificia silebunt, machinae quiescent, detrimentumque inde acceptum paucis etiam post diebus nemo satis aestimaverit. Additur quasdam quoque advelitationes inter opifices desertores atque milites ad opificia tuenda missos intercessisse, praesertim Dunquera in urbe, ubi ad effosores transfugas accessere baiuli omnes qui in portus finibus mercibus adferendis ad naues vel ad litus vacant. Militari manu vix sedata discordia, traditaque ad aliquot dies auctoritas imperiumque omne tribunis militum, qui cohortibus suis pacem tandem restituere.

Nuneii Aspinwall ex statione, Panama in isthmo satis nota, enarrarunt ultimas bellorum vices, quae Venezuelanam atque Columbianam rempublicam civium sanguine pessumdat. Castrum atque Marroquinum praesides victores ubique evasisse dicunt diaria, dum perduellum copiae, vulneratis multis vel occisis, amissa tormentorum bellicorum ingenti manu, fusae utraque in regione atque dispersae traduntur. Elatum immo victoriis adeo Castrum praesidem ferunt, ut iam contra munus illud tutorium atque pervigile quod Americanum nordicum foedus suis militibus per Panama fretum gerit, voces extulerit, atque arma quoque sit minitus. Quae si reapse ille tentasset futurum nos ipsi eredimus Roosevelt praesidem Panama viae effodiendae valedictum, atque rursus ad Nicaragua regionem oculos conversurum. Hisce de causis utraque in republica negotia gravius in dies implicantur. Quamvis enim Neo Eboracense diarium, cui nomen a Sole, foedus triplex secreto initum esse nunciaverit inter Equatorianos, Columbianos atque Cilenos, non tamen huius foederis vires iure Americani pertiment.

Etiam de Sinis his diebus notitiae, eaque fausto alite bonae. De Shang-hai enim urbe atque oppidis eius rursus Imperatori coelestium reddendis negotia resumpta affirmantur. Knappe, legatus Germanorum, eum Ciang-li-tung, regia vice in illa urbe fungens, rem proposuit, eique Gallus quoque legatus accessit. Si prospera omnia eadent, prout est in votis, oppida tandem nostri milites deserent, omnium utilitate.

Tristia contra ex Africā innotuere. Madullah enim, furens ille Mahumethi assecula, iterum Anglos aggredi est ausus, ex improviso primis eorum agminibus superveniens. Qua, licet parvi momenti, Victoria facile coniectui est ad summum efferti barbarorum illorum animos, et multam operam Anglis impendam esse ut Somalorum turbas undique coa-

lescentes disperdant atque ad nihilum redigant. Interea Swayne tribuno Manning imperator in exercitu illo suffectus est.

POPULICOLA.

#### PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.

**I**n Austria graves tumultus inter municipum comitia excitati sunt a Bohemorum legatis, ut propositae rogationes de publico aere, vel relata expensarum summa in futurum annum eroganda, serius quam par sit sanciantur. Colomanus autem, administrator in Hungaria praeses, fassus est foedus imperii Austros inter et Hungaros iustum optime posse prout nunc iacet ad sextum annum ulterius servari; de commerciorum denique pactionibus antequam cum exteris gentibus res composita sit se nolle eas tamquam abrogatas nunciare dixit.

In Gallia ad eligendos inter populi oratores legatos, qui inquirant de sacris sodaliciis quae suppliū libellum offerent ut iuris persona sibi concedatur, neque vota sua neque operam catholici oratores contulere. Mox autem subveniet de re pecuniaria publica quaestio gravissima, cui ingravescentis quotannis magis alienum aes imminet, ita ut rigidis legibus ei cavere iam oporteat.

In Germania de veetigalibus innovandis, quae gramina vel reliquias terrarum fructus ab externorum commerciis aemulantibus per patios fines tueantur, aeriter disceptatum, ita tamen ut suffragia tandem agrariae, quam vocant, factio passim favent: at tradunt quoque fore ut coetus, cui gentium omnium Germanico imperio subiectarum legati assident, nova veetigalia veto suo commoretur.

SCRIBA.

#### AENIGMATA

##### I.

Prima nent vetulae, Graecis est altera nummus;  
Summa clarus honor, tempora, theatra vigent.

##### II.

Me fac *pyrrichium*; cervos quot subdola capto!  
Oppida forte habeo, culmina, gramen, aquas.  
Si vero *emollis*, adhube mox pharmaca prudens,  
Clandere ni examinis trista fata velis.

TH. VIGNAS S. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus, cui titulus:

TH. VALLAURI  
DE RE EPIGRAPHICA.

Aenigmata an. V, n. XVIII proposita his respondent:  
1) Fulmen, Flumen, Lumen. - 2) Corbis, Orbis.  
Ea rite soluta miserunt:

Th. Vignas Sch. Piar, *Roma*. — Cam. Straschill, *Vittaco*.  
— Lad. Lnd. Podobinski, *Cracovia*. — Gui. Schenz, *Patisbona*. — D. Le Provost, *Briocen*. — F. Arnor, *Meditano*. — Ad. Schryzypkowski, *Szvinice*. — Petr. Garrone, *Pezzana ad Vercellas*. — Herm. Gini, *Aquis Taurintis*. — Aem. Gschwind Sch. Piar, *Praga*. — St. Figieliski, *Rippino*. — B. Michalski, *Suichece*. — E. Burg, *Argentorato*. — V. Starace, *Neapoli*. — Iac. I. Wayes, *Washingtonio*. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Alois. Cappelli, *Sensis*. — Ios. Wabner, *Varsaria Poton*. — Am. Robert, *Marieville*. — Ios. Walter, *Neo Eboraco*. — Ad. Huza, *Grybavia*. — A. Meseck, *Trajanick*. — Vold. Lommatzsch, *Limbach*. — Ios. Inst. Grifines Sch. Piar, *Neotsburg*. — Ant. Lassota, *Sutrio*. — H. Gardner, *Cincinnati*. — Bon. Kansen O. S. B., *Torab*. — I. Pagès, *Penang*. — Iul. Sernatinger, *Dresda*. — V. Hertel, *Mendhusio*.

Sortitus est praemium

CAM. STRASCHILL,  
ad quem missum est opus, cuius titulus:

CARMINUM S. ALPHONSI M. DE LIGORIO  
VERSO LATINA METRICA  
QUAM CONCINNAVIT  
FRANCISCUS XAVERIUS REUSS

(Editio altera aucta novisque curis subiecta).

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina Pacis Phil. Cuggiani.

nihilum redigant.  
ing imperator in  
POPICOLA.

M COETUS  
DIS.

ter municipum co-  
m legatis, ut pro-  
, vel relata expen-  
eroganda, serius  
ius autem, adminis-  
s est foedus imperii  
otime posse prouti  
erius servari; de  
us antequam cum  
se nolle eas tam-

opuli oratores le-  
lificis quae suppli-  
na sibi concedatur,  
polici oratores con-  
pecunia publica  
ns quotannis magis  
legibus ei cavere

innovandis, que  
tus ab externorum  
ios fines tueantur,  
suffragia tandem  
issim faverint: at  
gentium omnium  
rati accident, nova

SCRIBA.

A  
altera nummus;  
theatra vident.

subdola capto!  
gramen, aquas.  
rmaca prudens,  
fata velis.

VIGNAS S. P.

migmati inter-  
moderatorem  
unus, sortitus,  
lus:

A.  
his respondent:  
Corbis, Orbis.

Straschill, Villaco.  
uil. Schenz, Ratti-  
ori, Mediolano. —  
rone, Pezzana ad  
— Aem. Gschwind  
o. — B. Michalski,  
Starace, Neapoli.  
egmüller, Sabaria.  
Varsavia Poton.  
Neo Eboraco. —  
ek. — Vold. Lom-  
Piar., Nicolsburg.  
cincinnati — Bon-  
ng. — Iul. Serna-

DE LIGORIO  
CA  
REUSS  
iris subiecta).  
i, iurisperitus.  
Cuggiani.

**CONSTANTINI PISONI**  
**MAGNA OFFICINA**  
**CANDELIS VAPORE CONFICIENDIS**  
ab anno MDCCCLIII constituta  
ROMAE IN ITALIA  
Corso Vittorio Emanuele 127-129  
et Via de' Sediari 1, 2, 3

in stabili mercium ostentu Lutetiae Parisiorum constituto  
aureum nomisma retulit,  
eiusque possessor equestri dignitate est exornatus,  
fide sic addita  
praestantissimum hoc esse de re Italicum opificium.

Cereas faculas ad noctem comparat templis et familiis necessarias, plurimorum iudicio, qui per orbem universum eas acquisive-

Lumi da Notte in Cera  
INFALLIBILIT


runt, ex omni parte perfectas, quippe quae parsimoniam cum vivida luce, cum salubritate et munidie apprime coniungant.

Involucra habentur ad 50, 25, 12, 6 faculas apta.

Vitrea ad faculas minimo pretio veneunt.

Ad publica solemnia faculae peculiares suppeditantur.

Res per omnes orbis regiones nullo iubentium  
impedio exportatur.



## VARIA

### Rupes nutantes.

Nutantes rupes esse pluribus in locis cognoscimus, quae, mole plus minus ingentes cum sint, brevi tamen pede inferiori saxo innituntur undique excisae. Ita porro aequilibrate sunt super basi, aequis prementibus undaque ponderibus, ut dum levi quovis impulsu motum nutationis accipiant, numquam tamen dextrorum vel sinistrorum decident, staticae et dynamicae legibus mole propria parentes. Casu haec accidisse narrant, erodentibus et abripiantibus circa humum, qua saepiebantur, pluviis, turbibus; non tamen ita vulgus autumat, cui divinum quoddam in hisce inesse visum est, nec a maioribus traditam suis, susceptam semel, pertinax deponit animo sententiam; propterea quod scimus Druidica sphaera in Gallia vel nunc noctu, clamculum a superstitionis adiri, consultum de rebus et alienis et

suis. Talis et est, attamen omni superstitione purgata, in Ciminis montibus prope Viterbiu rupes, quae passim « rupes naviculans » nuncupatur, eo quod motum naviculae, cui blandiuntur fluctus, imitetur pulcherrime. At principem obtinet locum in provincia Buenos-Ayres super monte Tandil maxima cantes, cui septingentiarum millium pondus librarium adserbitur. Haec autem suapte semper nutat, nemine commovente, impellente nemine, a saeculis, et loci sermone *piedra enbezida* appellatur. Ambigunt plures cieri motus huiusmodi virtute caloris a sole irruentis, quo massa rupis nunc hinc, nunc illie dilatatur. At mihi longe alia causa videtur, dignaque doctis, praesertim cum nutatio haec etiam absente sole habeatur. Opinionem propono meam. Moles in arduo est, ipsaque immanis; orbis terrarum igitur super axem semet quotidie volventis -(adde aequatoris proximitatem, in qua motus perniciosa) - impetu sentit rupes, ipsique obedit, prouti pon-

dus facere noscimus filo suspensum a decenti altitudine, motu terraquei orbis ab occidente in orientem gerens fideliter morem.

Ioci.

*In periculosa venatione societas difficilis.*

Coturnicibus mors brevi impendebit; atque ideo, qui venatione vel delectantur, vel utilitatem inde referunt aliquam, sunt omnes in negotiis ut parata sint omnia instrumenta, quibus fas sit, legis vinculo circa venandi potestatem soluto, manus in voleres admovere armatas. Nicostratus sanctissimarum Albularum unda se proluens Telesphorum noverat; optimi ambo. Suberto amicitiae mutuae desiderio saepe visitationis commutabant officium. Telesphorus igitur adiens Nicostratum domi reperit venationis armamenta omnia in coturnices apparantem. Miranti: - Ne mireris, - Nicostratus ait; - venator quippe sum non medioeris. Tunc? - Atqui et ego interdum respondit amicus, - sed in coturnicibus occidentis quae voluptas et quae virtus, si praedae gloria communicanda cum canibus praecipua sit, sine quibus frustra quereretur? - Ah! intellico, - inquit Nicostratus; - tibi cordi est venatio periculorum non expers, qua frenementum aprum, hiantem rictu lupum, irruentem unguibus dentibusque ursum prosternas. Utique, sodes; - reddit Telesphorus. Tunc Nicostratus addit: - Si te pericula in venatu iuvent, venias ultra, hortor; venienti mecum enim, qui praeterita hieme consanguineum meum Tiburtium plumbo male mulcavi, pericula non deerunt.

Telesphorus risit; at se non iturum sponspondit.

*Evidentia persuasionis.*

In diversorio, cui nomen *Nassauer Hof* in urbe Wiesbaden, plures mensae eidem cenantes assident, quos inter senex, imperatoria forma, promissa in pectus candida barba. Disputantes acriter publica de re constituenda, quae optima foret, convivas ille intentus audiens; at interdum summis subridere labiis videbatur, nec tamen verbum faciebat. Quidam, qui «democratiae» dominant favebat, fortassis aestu orationis nimium conceitus, fortassis et vino: - Heus tu, - seni dixit; - inianiane ad suadendum tibi mea argumenta videntur? - Reete putasti, - respondit senex. - Numquid, - urget ille, - «monarchicum» regimen «democratico» antefers regimini? - Equidem ita; - reddidit antiquus noster. - Atqui democraticus impatiens instat: - Si sententiae causa tibi sit, qua non acquiescas argumentationibus meis, in medium profer, ut ventilemus, ac te ipse confundam. —

*Olli pacato Senior sic reddidit ore:*

— Sexenta milii sunt argumenta quibus democratiae regimini monarchicum anteferendum videatur; primumque agmine est, quod ego sum Oscar, Sueviae rex. —

Tum Democraticus assurgens: - Salve, tu — dixit, — qui es virorum optimus; mihi gratulator te vidisse, audisse, et quoties fueris tu monarchiae patronus, libenter praebeo vietas manus; — dextramque tetendit datus foederis et accepturus fidem. En in utroque persuasionis novae evidentia!

P. d. V.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI

CARM. PEZZULLO, Leo Papa XIII Gloria Pontificum. — Versae, ex off. Fabozzi, 1902.

MARCO BELLi, Grammatica elementare della lingua latina. Morfologia - Sintassi. -- Edid. Ligurni Raphael Giusti, 1903. (Ven. lib. 1,50).

LE LAUDI LATINE  
E  
IL CANTICO DEL SOLE  
DI  
S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello, praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latinae* cum interpretatione italicica, *Canticum Solis*, et illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliqua permulta. Libellum, quem proxime alii subsequent ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandum, Iulius Salvadori, litteris tradendis doctor egregius, maxima edidit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administratorem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

PHILIPPUS VITI Eques

MARMORARIUS

ROMAE - Via Alessandrina N. 51, 52 - ROMAE

Affabre sculptit quae sunt ad simulacra, altaria, sacella, aediculas, uti patet ex operibus erectis aut refectis in Basilica Lateranensi, Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina, Eudoxiana, etc.

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE  
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO  
*Veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 × 0.24)

qui sociis commentarii *VOX URBIS* dono datus est,  
venit singillatim L. 2.50

*apud comm. VOX URBIS Administratorem.*

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA  
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

 IBER (vulgo "ALBUM")

praecipua Urbis referens, pulchritudine insignis atque, commentarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse conflatus, apud eumdem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87, ven. lib. 1.50.

*SOCIIS MONITUM.*

Sociis pluribus morem gerentes hisce idibus Novembribus apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis sit; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.